

Occurrit autem post Vespasianum Iosephus, vir apud suos clarus, nec obscurus apud nostros, qui ab eodem captus, tempore quo Neronis Imperio bellum gerebat in Iudæa: Cum sibi vincula circumdari vidisset, quasi nihil motus breui captiuitate, & omnino futuri certus: Tu idem, inquit, Vespasiane, quem nunc alterius iussu vinciri facis, citò Imperator factus, iubebis absolui. Id sanè quibus coniecturis prouiderit incertum, nisi quia & nota Neronis impietas, velocem casum, & spectatum Vespasiani meritum, ascensum polliceri poterat, quo rerum potentia, nihil inhumanum formidandum erat, his fortè vir prouidus ad salutis ac libertatis spem, ratiocinando peruenerat: propter quod tam intrepidè loquebatur.

HERENNIUS SAMNIVS.

Pontius Samnitum Imperator, apud Caudium ambos Cofs. atque omnem exercitum Romanum fortè præruptis & angustis locis incluserat, miserabile spectaculum, tot fortissimos viros ademptæ pugnae copia & armatos simul & capti-

uos